

## 228 ELOGIA MEINWERCI.

Commissos verbis, simul incitat ad bona factis.  
 Nam fuit ipse pius, prudens, humilisque, pudicus;  
 Ostendens in se virtutum semina queque.  
 Verè pauperibus pater extitit ipse benignus,  
 Quos ope largarum recreavit elemosinarum.  
 Devotâ curâ struit oratoria plura.  
 Pleniter his aptum procurans quemque paratum.  
 Sedis at Ecclesiæ compsit pulchrè satis ipsam.  
 Res & episcopis cumulavit munere diti,  
 Sive paternarum de census divitiarum;  
 Sive alijs rebus, quas conquirit honestè.  
 Castrum appellatum WARBURG nanciscitur ipsum,  
 Magnum nempe decus munimen sedis & ejus,  
 Quod fuerat Comitibus celebris quondam Duceconis.  
 Nec non Cœnobium vitæ struxit Monachorum  
 Ipsâ sede suâ, Paderbornon vocitatâ,  
 Caesaris Henrici cum consilio memorati;  
 Qui tulit auxilium non parvum, promptus ad ipsum,  
 Ad Fratrum victum dat plurima quotidianum.  
 Qui laudis sacre libamina nocte dieque  
 Omne bonum danti persolvat Omnipotenti;  
 Huncque Dei Sanctum, nobis non est dubitandum.

Aliud,

Inscriptum recens parieti basilicæ juxta  
summum altare.

**Q**uisquis in effigiem tua lumina dirigit istam,  
 Meinwerce hic digni Præsulis esse scias.

Geldro-